ORATIO
LITTERALIS RHETORICA IN LAUDEM, ET HONOREM DIGNISSIMI SANCTISSIMÆ THEOTHOCOS SPONSI, ALMÆ HUMANÆ TRIADOS TERTIÆ PERSONÆ OPTIMÆQUE FAMILIÆ RECTORIS OPTIMI,
DIVI IOSEPHI CONFESSORIS,
RECITATA IN PECULIARI MUSÆO, CUIUS IDEM SANCTISSIMUS PATRIARCHA AMANTISSIMUS TUTELARIS EST,

A D. FRANCISCO DE ALVEAR ET ARANDA,

EIUSDEM MUSÆI ALUMNO admodùm Studioso:

Hiſpali VI. idus Maias, Anno Dñi. M.DCC.XXXIX.

ERUDITISSIMO D. D.

D. FRANCISCO DE ANDRADE,

SANCTÆ, SUPREMÆ, ET GENERALIS Inquiſitionis Qualificatori, ac meritiſsimo Cõſultori, Nunciaturæ Hiſpanenſis Theologo Examinatori, & inſignis Omnium Sanctorũ Eccleſiæ proprio, ac digniſsimo Beneficiato, candido pectore D. reverenti obſequio O. & ardenti animo S.

AD SAPIENTISSIMVM, AMPLISSIMVM, omnique rerum genere commendatissimum, D. D. D. FRANCISCVM DE ANERADE, Sanctæ, Supremæ, Generalisque Inquisitionis Qualificatorem, ac meritissimum Consultorẽ, Nuntiaturæ Hispanensis Theologum Examinatorem, & insignis Omnium Sanctorum Ecclesiæ Proprium, ac dignissimum Beneficiarium.

42

MOS FUIT APUD SCRIPTORES, tum antiquos, tum recentiores, Amplissime Domine, Andrade Familiæ summum decus, splendor, & gloria, postquàm libros suos, imò liberos, quos suo pepererunt ingenio, ad calcẽ perduxere, illisque ultimam manum imposuêre, virum quempiam amplissimâ dignitate, ac potestate conspicuum quærere, cui suos litterarios labores dicent, nuncupent, atque commendent, ut eius patrocinio muniti pestilentissima invidorum spicula, Criticorumque temeritatem non reformident; tuncque sua scripta tutò in lucem prodire valeant. Et ut illam tam veterum, quàm recentium consuetudinem executioni mandare possimus, atque etiam ab huiusmodi Criticorum liberari censurâ, eximium Heroëm, ad quem confugere tuti valeamus, vehementissimè quærebamus. Cumque nostra officiosa gratitudo

dubiâ cogitatione moliretur, talem invenire Protectorem, ſub cuius auſpiciis, hæc litteralis Rhetorica Oratio de DIVI IOSEPHI elogiis, typis mandari poſſet, incidit nobis in mentem hæc res: *Divina providentia fieri ſemper ſolet, ut in tanto humanæ vitæ errore, ac dubio, aliquis reperiatur Princeps, qui virtutem diligat, ſuoque patrocinio tueatur, nè Studioſis viris præſidium deſit, & locus, ad quem confugere valeant.*

Utque primùm mens noſtra huiuſmodi Mecœnatem ſcrutari cœpit, omnigeno timore iam procul depulſo, confeſtim in te invenit, quantum ſuo conceptui adæquare potuit. Minimè igitur mirum videri debet, ſi ad celſitudinem tuam confugimus, opuſculumq̃ noſtrum tibi dicare conſtituimus. Nam te invenimus Virum genere, prudentiâ, æquitate, & omnibus virtutum dotibus admodùm inſignitum. Quippè etiam omnes ad unum doctrinam, prudentiam, humanitatem, liberalitatemque tuam, maximamque erga DIVUM IOSEPHUM devotionem, apud nos mirificè commendarunt: Unde illud Mantuani iure merito ſemper tibi adaptari, atque decantari debet:

Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Quem tamen alium in tota Hiſpalenſi regione invenire poſſumus, cui D. IOSEPHI elogia cordi magis ſint? Talé igitur quum te eſſe omnes prædicét, Mecœnas

nas dignissime, ad te, eâ tuâ magnâ devotione, quam erga dignissimum Deiparæ Sponsum profiteris, atque eâ tuâ excellentiâ, quam fidelissimè colimus, maximè impulsi, audacter, confidentiùsque profecti sumus. Quæ omnia nobis de te spem optimam attulerunt: Quibus verbis tantùm fidei haberi debet, quantùm dici potest. Exiguè tamen sanè, si dignum tanto divino numine munusculum offerre velimus. At verò, quod possumus, libenter offerimus, tibique dedicamus, & consecramus. Sed quamquàm longè pretiosiori munere dignus es, tamen hoc exiguum nostrum accipere tua celsitudo nè dedignetur: Magis etenim donantis animum, quàm donum ipsum aspicere semper debet. Speramus denique fore, si Opusculum hoc nostrum tuis auspiciis semel in lucem eruperit, ut apud Viros bonos, ac verè doctos, laudem haud aspernendam sit habiturum. Vale, Amplissime Mecœnas: Dii te nobis sospitem diutissimè servent.

Tui semper ex corde
humiles, ac fœlices clientuli.

L. D. Franciscus de Alvear. *L. D. Thomas de Agredano.*
L. D. Franciscus de Morales. *L. D. Gabriël Zamora.*

nae digni[illegible]
quam ego dignum[illegible] quod [illegible]
[illegible]
ones, maximae [illegible]
prosequamus. [illegible]
[illegible]
ri debet, quantum [illegible] Lingue tamen ipsos,
si dignum tanto [illegible] munere manifestum esse
re velimus. At vero, quod possumus, libenter offe-
rimus, [illegible] dedicamus, & consecramus. Sed
quamquam longe [illegible] dignus es, ta-
men hoc eo [illegible]
designetur [illegible] quam
[illegible] debet. [illegible]
[illegible]
[illegible], ac
vere [illegible]
m[illegible]
quem [illegible]

Tui [illegible]
[illegible]

PERICULOSA EST AUDACIA, SI VIRES NON SUPPETANT SPIRITIBUS.

QUAMQUAM MIHI (AMPLISSIME Mecœnas, genere, prudentiâ, æquitate, & omnibus virtutum dotibus admòdùm insignite; Doctissimi Patres, Palladiæ Arcis selectissimi Magistri, in quibus omnigena litterarum culmina patefiunt, divinisq̄ue litteris etiam ornati, quasi luces lucetis; Scholastica Iuventus, inter omnes litterarum candidatos præstantissima, in qua, velut in ærario cunctæ virtutes, universæq̄ue litteræ sunt repositæ, aut in quam illa Athenarum celeberrima facundia se transtulit; clarissimi Auditores, omnium vocibus commendabiles, cæterorumq̄ue astantium fulgentissima concio.)

Quàmquàm mihi, inquam, minimo huius Musæi Alumno, nihil fœlicius accidere valuit, quàm ut in hac doctissimorum hominum corona, humanissimorum adolescentium cœtu, hac tanta diei celebritate, & loci, mihi occasio decantandi virtutes tribueretur, atque excellentias Genitricis Dei dignissimi Sponsi, almæ humanæ Triados tertiæ Personæ, Mariani Paradisi prævigilantis Cherubim, Iesu Christi Parentis deputati, increati, ac Æterni Patris mirabilis Æquivoci, pro inspirato substantiali Amore egregii Substituti, Sponsæ Deiparæ Sacri humani velaminis; utq̄ue uno verbo congeram, SANCTISSIMI PATRIARCHÆ IOSEPH, huius præcelebris Musæi amantissimi Patroni, cuius magnam potestatem, cuius eximiam celsitudinem, cuius præclaras dotes, & fama vociferat, & Orbis veneratur; tamen, *cùm sit periculosa audacia*, ut in exordio huius meæ Orationis dixi, *si vires spiritibus non suppetant*, & hæ mihi deficere videantur, timeo, ut possim hodierna die (magis obedientiâ, *quia fœlicitatis Mater est*, quàm audaciâ impulsus, *quamvis audaces fortuna iuvat*) & muneri meo, & inclytæ vestræ expecta-

pectationi satisfacere. Quamobrem, nè quod olim indoctis litterariæ palestræ Athletis usuvenire solebat, id mihi eventurum sit hodiernâ die, pertimesco; nam illi in primo congressu cùm suas imprudenter dispensarent vires, nimio deinde conatu fracti, ac debilitati, facilem adversario victoriam relinquebant, magnâque insipientiæ notâ facilè inurebantur.

Quàpropter mihi in animum inducere debeo, ut nullum propitium, nisi infœlicem exitum sperare posit, qui rerum pusillo Oratori, magni ponderis munus commitere audet. Væ mihi! Horriferis undequàque circundor periculis, & ut alter Phaëton, Apollinei moderamen currus arripiens, Iovis fulmine percutiar, haud indignas luens pœnas temeritatis: perspiciensque prudentissimus astantiũ Congressus, & me pusionem Oratorem agere, & insipientiæ fasciis obvolutum, Sanctissimi nostri Patriarchæ, totius Orbis Solis fulgentissimi, gesta declamanda suscipere, carmina Sulmonensis obiiciet:

Magna petis, Phaëton, & quæ non viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.

Audaciam iam fateor; sed audaces (ut anteà dixi) Fortuna iuvat: ætatulam non inficior; sed ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem: confidentiam non denego; sed obedientiæ debetur: atque ideò Vir obediens graviora pericula tutus ingredietur, & (ut Salomon in Proverbiis) victorias cantabit.

Sed tamen hæc mihi in animo volventi, videntur omnia insolito, & profundo silentio respondere:

Quæ fieri nequeunt, prorsus tentare recusa:
Ingenii debes pondus habere tui.

Quàmvis è contrà, sic mea Thalia prosequatur:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hac ego contentum suspicor esse Deum.

Sed mea erga Sanctissimum Patriarcham, voluntas tam magna est, ut (quàmquàm suæ excellentiæ sublimitas expeditissimi Oratoris copiam, ut dignè afferat, exposcat) eâ ipsâ magnòpere excitatus nulli labori succumbere posim, & tanti mihi operis demandati magnitudine nullatenus devincar,

illud

illud Mantuani etiam hilariter decantans:

Audentes Fortuna juvat, timidosque repellit.

Quocircà incunctanter ad opus accedo, & ut depulso iam procul timore, vestris oculis, charissimi Auditores, nihil inconcinnum exurgat, operæ pretium existimo divinam opem exorare, & valido Cœlicolûm auxilio præmuniri, sic mea Thalia modulante:

O Pater, ò hominum, divûmque æterna Potestas,
Tuque Patris summi vigor, & Cœlestis origo,
Tu simul, ò Numen par Nato, parque Parenti
Celsa Trias, rectum sinè te nil possumus; ergo
Auxiliare potens, validam mihi porrige dextram.
Virgo, simulque Parens, maribus quæ nomen ab altis
Deducis, iussuque tuo tranquilla silescunt,
Te duce, vela damus portus habitura secundos:
Te sinè, Virgo Parens, mea mens nihil inchoat altum.
Tu quòque, Sancte Pater, totum venerande per Orbem,
Quem celebrant hilares, iubilo quem cordis Alumni
Sæpè colunt, IOSEPHE, fave, tua lumina mitte,
Virtutum ut valeam per laudes ire tuarum.

Quæ de Sanctissimi nostri Patroni laudibus, humanissimi Auditores, dixi, atque sum dicturus, ea in suas virtutes, ac excellentias decantandas (ut est apud hoc celeberrimum Musæum mos singulis annis, ad munus, quod suo Patrono iustè debetur, præstandum) quin conferam non possum. Ut Sanctissimi IOSEPHI virtutes, ac excellentiæ patefierent, eius nomen, quod denotat augmentum in omnem perfectionem accrescens, proferre satis erat. Ast meæ consulens devotioni, huiusque gymnasii præcelebre institutum præstans, aliqua (quamvis rudo stylo, & nil sub Sole novum) cum nonnulla novitate proponam.

Fuit Sanctissimus IOSEPH Dei imago perfectissima. *Tu signaculum similitudinis*: aliqui Doctores addunt, *Dei*; inter quos præstantissimus Theologorum Antesignanus, Præceptor Angelicus, Thomas, inquam, eximius Aquinatis splendor; qui de Divo IOSEPH loquens (*1.p q 63.art.5. in corp.*) huiusmodi verba litteris commendat: *Tu signaculum similitudinis Dei.* Tu, ò Sanctissime Patriarcha? *Dei perfectissima Imago es.*

In

In memoriam redigo, Sanctum Eustachium in suo Exameron dixisse: *Columbam positam fuisse super IOSEPHI caput, quando illi sponsata fuit Virgo MARIA.* Idem Petrus à Natalibus, Divus Hieronymus, & Engelgra, *in specie Columbæ Spiritum Sanctum descendere* affirmant. Quarè ergo Spiritus Sanctus super IOSEPH, quando desponsatio est perficienda, venit? Ad quid iste ordinatur adventus? Ad testimonium Divinæ Imaginis IOSEPHI reddendum. Est Virgo Mater in Cœlo Spiritus Sancti Sponsa; ita collaudat Ecclesia: *Ave Sponsa Spiritus Sancti*: tam Divina Sponsa in terris IOSEPHO spondenda est: ergo quia Cœlum, & terra cognoscant, qua Divinus Sponsus est futurus, Spiritus Sanctus super caput eius eum manifestare suscepit. Ad rem sunt verba Ruperti: *Nomen Sponsi Cœlestibus nuptiis fecit.* Ità lib. 1. de glor. filii hominis.

Ad hoc Spiritus venit Divinus, ut monstraret, quòd si Sponsa erat Cœlestis, etiam Cœlestis Sponsus, ut *Imago similis Deo.* Hanc veritatem designavit Spiritus Sanctus; venit (ut jam est dictum) super caput ipsius in Columbæ specie. Ad istius imaginis fidem, virgam miraculosè floruisse non sufficiebat? Ad quid Columba super caput venit? Ut, quantus Divinus erat IOSEPH, monstraretur.

In Iordane Christus baptizatus est, & Spiritus Sanctus in specie Columbæ supervenit. Et Abulensis ait: *Quia nulla creatura sufficiens erat, ut testimonium de Christo proferret.* Necesse est, Personam esse Divinam, quæ fuisset allatura testimonium magnitudinis Christi, Imaginis adæquatæ Patris Æterni: Imago bonitatis illius. Non erat testimonium creaturæ sufficiens. Non est IOSEPH Deus; sed tam Divinus resplendet, quòd Deus descendit, qui testimonium suæ celsitudinis ferat; nam creatura non erat sufficiens: *Quia nulla creatura erat sufficiens,* quia est imago, in qua Deus suum quasi sigillum fixit.

Quænam lingua, etiam si Angelica sit, potest te extollere laudibus, ò IOSEPH? Te Virginem, & Sponsum Virginis non hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mens sat dignis laudibus efferre potest. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de te Sponsò Virginis, Matris Christi MARIÆ, Patre Nutritio IESUS eloqui potero, cuius laus etiam est indicibilis lin-

linguis hominum, & Angelorum. Ideo Evangeliſtæ ſilentio tuas laudes commendarunt, quia ineffabilis eſt magnitudo tua; & ſatis ſit de ea referre, fuiſſe Sponſum MARIÆ, Patremque IESUS, quoad hominem putatum fidelem Nutritium; ideò cum tremore, & reverentia tibi coronam ſilentii offero, nam dixit Euripides in Penthem apud Scobeum ſerm. 35. *Decorum ſilentium corona eſt viri boni; loquacitas autem neque iucundum aliquid habet.*

Me autem tacente, loquatur Sponſa tua MARIA per Sanctæ Birgittæ os lib. 6. revelat. 59. dicens: *Fuit tam cautus IOSEPH in verbis ſuis, ut nullum, quod non eſſet optimum, atque Sanctum, ex ſuo exierit ore; nil iners, nil detractionis. Fuit homo patientiſsimus, verbis meis obedientiſsimus, in inimicos meos magnanimus, & conſtans, mirabilium Dei fideliſsimus teſtis, carni, & mundo mortuus; ſoli autem Deo, atque cœleſtibus bonis, quæ tantùmmodo avebat, ſuperſters, Dei voluntati conformis, & tam conformis, quod ſemper hoc elogium repotebat: Fiat in me voluntas Dei, agam quidquid Domino placuerit, ut Divinam voluntatem adimpletam adſpiciam: Raró hominibus loquebatur, crebriùs Deo, cuius voluntatem tantùmmodò adimplere cupiebat; ex hoc autem magna tunc gloria fruitur in Cœlis.*

Ut autem, ſpectatores humaniſsimi, in cognitionem deveniatis aliquorum ex plurimis peculiaribus privilegiis, quæ Noſtro Sacro, ac Excelſo Heroi eum invocantibus à Domino propter magnam eius excellentiam, ac ſanctitatem ſunt conceſſa, attentos animos huc, atque benebolos cuncti adhibere debetis: quæ per ſuum referentur ordinem, atque ità ſe habent. Qui à IOSEPHO auxilium expoſtulaverit, ad caſtitatem obtinendam, & ad pericula ſenſualitatis devincenda, illius voti factus eſt compos.

Qui à digniſſimo Deiparæ Virginis Sponſo iuvamen petierit, ut Sanctiſsimæ eius Sponſæ devotionem obtineat, eamq̃ue ipſam ex memoria, ac ſuo corde numquam deponere valeat, tantæ conſequutionis conſcius eſt.

Dæmones, audito IOSEPHI nomine, ſtatim ſe fugæ mandant, atque magno concutiuntur timore.

Qui à Noſtro Amantiſſimo Tutelari ſuppetias efflagitaverit, ut ex peccati morte ad Dei gratiæ vitam revocetur, nactus eſt.

Si aliquis, cùm nullus sit ei hæres, Sanctissimo Nostro Patriarchæ fuerit commendatus, illius est consequutionis particeps.

Qui à Divino, & Sacro IOSEPH præsidium exegerit, gratiâ bonæ mortis obtinendæ, atque in illa hora à Dæmonis calumniis liberandi, adeptus est.

Salus tam animæ, quàm corporis, & in laboribus remedium ipso Divo IOSEPH consequitur. Hos enim, & alios quàm plurimos favores per IOSEPHI, Virginis MARIÆ Sponsi intercessionem, Dominus petentibus concedit. Ità Maria à Iesu in histor. vitæ MARIÆ Virginis 2. part. lib. 5. cap. 16.

Itaque debeo, ac dicere sequentia audeo: Aliis Sanctis concessum est, istud, aut illud malum medicari; sed Sanctissimo IOSEPH pro omnibus est malis remedium. O Divinum tam corporalium, quàm spiritualium morborum Alexipharmacum!

Dum hanc ergo gratiam meditarer, in memoriam revoco Mannâ; deque illo ait liber Sapientiæ: *Habere omnem suavitatis saporem, ex illoque ad suum quisque pallatum percipiebat.* Hoc modo devotionem, ac protectionem erga Divum IOSEPHUM invenio: est enim etiam ad protegendum iuxta desiderium invocantis propensus. Si aliquis animum mœrori cum infirmitatibus dederit, oculos iniiciat in IOSEPHUM, ab ipsoque petat, sibi à Domino aliquid illius impetrare lætitiæ, quam, ipse aspiciens illum, sentiebat; nam profectò fuit magna, & tantùm, quòd aliâ non indigebat: ità de cæteris rebus.

Numquàm mihi, quàm in præsentiarum, optabilius, vel Demosthenis eloquium, vel Archimedis acumen: Demosthenes enim unus eminet inter omnes in omni genere dicendi; nam Græcorum Oratorum Princeps, & libertatis Græciæ defensor, contra Philippum publicæ libertatis insidiatorem victor evasit. Archimedes verò vivaci mentis acumine, ita sphæram vitream mechanico artificio disposuit, ut ad eam immensos penè Cœlestium Orbium globos, in quibus circulorum modus, ad Iovis usque stuporem videbatur, perfectè reduxerit.

Cæ

Cæterùm licèt Archimedis acumine, & Demosthenis pollerem ingenio, brevi huius Panegyricæ Orationis circumferentiâ Iosephici Cœli splendentia virtutum sydera concludere haud possem. *Nam laxum spatium res magna desiderat*: aiebat Cordubensis Philosophus. Ideò taceo cætera: illud tamen silentio in volvere non valeo, quod Isidorus Isolanus litteris mandavit, quòd IOSEPH altissimi Mysterii Incarnationis scutum fuerit inexpugnabile. Fuit Christi clypeus, nè illum Herodiana crudelitas cum cæteris innocentibus mactaret; nè filius Archelaus è medio tolleret: fuit umbra Sanctissimæ Virginis, nè lapidaretur à Iudæis ob Divinum Conceptum illis omnino ignotum: fuit solamen illius in tot periculis, ac laboribus maximis, quos cum Unigenito Filio pro nobis perpessa est: O liceat mihi pro me exclamare, quod iure olim canebatur.

O Custos Matris Domini,
Tu solus est protectio,
Nostraque iubilatio.

Fœlices, qui sub IOSEPHI umbra esse meruerunt: Beati, qui suo scuto proteguntur. Hic itaque Scholasticus Congressus tali animatus confidentiâ, tuas aras, ò Sanctissime Patriarcha, semper petit, tuum patrocinium assiduè exoptat, ac tua umbra obumbrari certè desiderat. Scio quidem ego hac tua umbra potiùs quàm aliâ Aulam istam tutam futuram. Nam ut lex quædam testatur: *Melior est umbra senis, quàm ensis iuvenis*. Non ferient, non defendent enses, si tua defecit umbra: obtundentur inimici argumentorum gladii, si tuus adest inexpugnabilis clypeus: Sis ergo, humanissime Pater, amore Deiparæ Sponsæ dignissimæ tuæ, amore Fili Dei, tui Putativi Filii, sis mihi, & huic tuæ Aulæ, quæ te dignissimum suum Patronum iustè veneratur, quæque in amoris signum, & grati animi monumentum tibi hos iure debitos, ac annuos cultus offert, sis semper scutum, & umbra; *quia nulla est hac tutior umbra*.

Iam iam tandem, humanissimi Auditores, meæ Litterariæ Orationi finem imponere fas est, ut cæteri cultus, & laudes, quæ huius præcelebris Musæi Patrono amantissimo per suos Alumnos sunt præparata, executioni incunctanter man

mandentur; ſed priuſquàm hæc finiatur Oratio, vobis refer re argumentum, quod ex Plutarco refert Engelgrave. quodque ad noſtram rem plurimum eſt, mihi in animo, ac in votis ſemper fuit: Quod ità ſe habet.

Themiſtocles Athenienſium dux (ut iam citatus Author refert) præpotentis amoris vi, qui omnia ſibi facit obtemperare, ſic argumentari ſolebat: Filius meus Diaphantus imperat Matri, Mater imperat mihi, ego toti Græciæ: ergo Filius meus Diaphantus imperat toti Græciæ. Non omnino abſimili modo argumentari licet: IOSEPH imperat MARIÆ, Matri IESU, utî Uxori ſuæ, MARIA imperat IESU, ut Filio. *qui fuit ſubditus illi*, IESUS autem imperat univerſis creaturis, quæ ſunt in Cœlo, & in terra: ergo IOSEPH quodam modo imperat creaturis univerſis, quæ in terris, & in Cœlis ſunt.

O mirabilem, & ineffabilem IOSEPHI poteſtatem! inſuper Dei Filium tibi ſubditum, Scriptura ſacra atteſtante, didicimus. Ideò tuum imperium quodam modo (fas ità loqui) Dei imperium excedere videtur; quia Deus creaturis, tu verò imperas Creatori, obediente Deo voci hominis. Nec tibi ſemel, ut Ioſue Sol iſte materialis; ſed ſæpiſsimè Sol Iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter, ſtetit, ſe movit, & ad tutum quievit, & ut rectè concludit Pariſienſis Chancellarius Gerſon: *Quanta fiducia IOSEPHI, quanta in eo vis imperandi? Qui dum vir uxorem, dum Pater Filium orat, velut imperium reputatur.* Unde veriſſimè cecinit ille:

Cuncta Deo parent, IOSEPH, tua gloria creſcit,
Creſcit honos, paret nam Deus ipſe tibi.

O Sanctiſsime IOSEPH! O clariſsimum Chriſtianæ Religionis Speculum! O ditiſsimum omnigenæ virtutis ærarium! O mirabilis Sanctitudinis paradigma! O Patriarcha illuſtris! O Glorioſiſſimus Patriarcharum! O Angelicus cuſtos MARIÆ! O Chriſti Tutor, Protector, Rector, & Putativus Pater, cui Dominus, cui omnia parent, erat ſubditus. Quis cum te cœperit cognoſcere, ac amare, gelui oblivionis mandabit? Magnalia tua, ò Amantiſsime IOSEPH, ad te me trahunt ſuaviùs, ac fortiùs, quàm magnes ferrum. Creſce igitur Sanctiſsime Pater, in millia millium, ſi creſcere potes; quàmvis ſic mea Thalia moduletur:

Plau-

Plausibus his maior non fit tua gloria, nec quo
Ut maior fiat, crescere possit, habet.

Tuos denique fove Alumnos, & huic Aulæ benignè patrocinare, *siquidem ipse Deus te constituit Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis eius.*

Tua nos propitiâ protectione fruamur. Dives es, pauperes respice, pauperes dita, donis, virtutibus; omnes tuos devotos protege, & cunctos Christianæ Religionis Cultores, præsertimque huius Aulæ Alumnos, quos omnes tui amore igne ardentiori flagrantes, alma gratia, maximo amore, & ad gloriam perducito beandos.

DIXI.

O. S. C. S. R. E.